

dotum parrochialium super hoc requirant et optineant primitus licentiam specialem, omnes suos subditos eisdem fratribus aliter confitentes excommunicantes et excommunicatos denunciantes diebus dominicis. Et quod plus est, suos subditos eisdem fratribus absque sua licentia confessos privant ecclesiasticis sacramentis, nisi confessa fratribus sibi denuo confiteantur integraliter et in toto, tanquam praedictorum fratrum absolutio irrita fuerit et inanis, astringentes nihilominus eosdem per privationem sacrae communionis, ne saepefatibus fratribus praesumant in posterum confiteri. Hinc est, quod cum per declarationes evidentes nobis sub veris bullis exhibitas sanctissimi Johannis XXII. ecclesiae universalis summi pontificis nunc, ac Alexandri et Clementis quarti quondam felicis memoriae eiusdem ecclesiae pontificum Romanorum expresse caveatur, quod si per privilegium summi pontificis, vel legati sedis, vel etiam ordinarii, religiosus aliquibus concedatur potestas audiendi confessiones fidelium, absolvendi confitentes, ac poenitentias ipsis confitentibus iniungere salutare, quod tali auctoritate libere uti possunt, parrochialium sacerdotum assensu nullatenus requisito; dicere etiam quod confessi fratribus habentibus a sede apostolica huiusmodi licentiam confessiones audiendi, teneantur eadem peccata fratribus confessa iterum confiteri proprio sacerdote, a sanctissimo Johanne summo pontifice praefato, tanquam falsum et erroneum nuper sub patenti bulla reprobatum fuerit et dampnatum, prohibito ne quisquam huiusmodi articulum, utpote auctoritate apostolica dampnatum, asserere audeat seu tenere. Et dicti fratres ad audiendum confessiones fidelium eis confiteri volentium, ad absolvendum eos a peccatis sibi confessis et iniungendum eis poenitentias salutare, nec non ad proponendum et praedicandum populo verbum dei libere privilegiati sint, de gratia et benignitate sedis apostolicae speciali: Discretionis vestrae auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, in virtute sanctae obedientiae et sub poena suspensionis districte praecipiendo mandamus, quatenus ab huiusmodi impedimentis dictorum fratrum, in praeiudicium et irreverentiam auctoritatis sedis apostolicae factis, et per vos seu aliquos vestrum ut praemittitur attemptatis penitus desistentes, ipsos clavibus in vestri ac totius ecclesiae adiutorium concessis, eisdem et doctrina salutari verbi dei, iuxta tenorem suorum privilegiorum, super quibus conservandis sumus auctoritate apostolica deputati, uti libere permittatis, subditis quoque vestris, eis confessis et ab eis absolutis, sacramenta ecclesiastica nullatenus denegetis, retractantes etiam, si quid per eos, ut praemittitur, contra ipsorum privilegia fuerit populo praedicatum. Non obstante statuto, 'Omnis utriusque sexus' edito in concilio generali, cum iuxta declarationem sanctissimi Johannis saepefati illi, qui dictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias eadem confessi fuissent eorum proprio sacerdote, iuxta dictum concilium generale. Nos eadem auctoritate praefata omnes sententias et quicquid a quoquam vestrum attemptatum fuerit in contrarium praemissorum, decrevimus irritum et inane, immo iuxta declarationes praemissas cassum et irritum nunciamus.

Sed quia nos antedictus dominus Wythego ecclesiae Misnensis episcopus in incrementis salutaribus praedictis fratribus fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini, quos speciali favore singularius complectimur, vigilanter velimus providere, omnibus et singulariter singulis nostris subditis praecipimus et praecipiendo mandamus,